

hausung zurückgeführt, wobei er zugleich die vernünftige Erklärung gab, dass er sich in den Streit zwischen Barret und Froville nicht mehr mischen werde, beide möchten denselben vor der zuständigen Behörde zum Austrag bringen. Bei ihrer Rückkehr fanden die Religiösen nicht mehr den zehnten Theil ihrer Habe, das Meiste war geplündert und weggeschleppt worden, namentlich waren viele Documente aus dem Archiv verschwunden.<sup>1)</sup>

Der Convent führte nun schliesslich selbst Klage gegen Froville bei Sixtus IV., der in einer Bulle vom 6. Juli 1482 den Kanzler und den Official der Metzser Kirche mit einer Untersuchung beauftragte.<sup>2)</sup> In der Bulle heisst es unter Anderem: „*Jacobus omnes decimas census fructus redditus et proventus ad dictum Monasterium ex quavis causa spectantes alienavit et ad illos recipiendum certos laicos deputavit ita quod pro Monachorum dicti Monasterii divinis officiis ibidem continue insistentium sustentatione nihil remanserit saltem ex quo ultra mensem sustentari possint, quinimo ex suffragio parentum et amicorum vitam ab octo mensibus citra duxerunt, dictumque Monasterium et nonnullos eidem Monasterio subditos omnibus bonis et Conventum sigillo spoliavit et nisi eis de congruo subventionis auxilio provideatur non solum divinum officium et dictum Monasterium, verum etiam habitum regularem dimittere, et pro eorum alimentis quaerendis per mundum vagari cogentur.*“ Das Resultat der Untersuchung scheint die Suspension Froville's gewesen zu sein, da Cardinal Julian am 11. August 1483 den Domdechant Mathié mit der weltlichen und geistlichen Verwaltung von St. Symphorian betraute, bis Froville endlich im J. 1484 zu Gunsten Johann's Notarii unter Vorbehalt einer jährlichen Pension auf Lebenszeit resignierte. Diese Pension bestand in dem Ertrage der Beszung Orly.<sup>3)</sup>

(Fortsetzung folgt im nächsten Heft.)

## Series Chronologico-critica Hagiographorum sexti, septimi et octavi saeculorum.

Scripsit R. P. D. Beda Plaine, O. S. B.

(Confer: 1892 t. II. pg. 201—207.)

### Caput tertium: Hagiographi octavi seculi recensentur.

Octavum Aerae Christianae seculum Epocha intermedia nuncupari meretur, parvamque post se scientiae ac sanctitatis famam reliquit. Ubique tunc temporis grassabantur

<sup>1)</sup> Huguenin Chron. mess. S. 444.

<sup>2)</sup> Archiv 1343.

<sup>3)</sup> Archiv 1335. — Hist. manuscr. de Dom Jean François.

errores et vitia, ubique multiplicabantur latrocinia et homicidia, adulteria omnisque generis facinora; innumera bella sive intestina sive externa movebantur, faciemque terrae vastationibus et ruinis operiebant. Quo rerum statu, pace deficiente, cultura litterarum a multis deserebatur. Hinc causae patent cur ex una parte tam pauca litteraria ediderit monumenta illa aetas, et cur insuper ista eadem monumenta tam multis grammaticalibus et aliis scateant sphalmatibus. Verumtamen ex altera parte ad commendationem scientiarum hagiographicarum asseri potest majorem et meliorem octavae aetatis scriptorum partem ad rem hagiographicam spectare. Ascribitur etiam octavi seculi hagiographis tanquam propria laus et specialis gloria novi generis scriptionis adinventio, quod genus vocatur mixtum seu mediocre ex eo quod prosa et metrum, ligata et soluta oratio hoc intermiscetur, vel jucunde uniuntur. Nam si aliqua forsam scriptionum hujusmodi exempla ante annum 700 inveniri possunt, paucissima tamen erant, et rem in consuetudinem non adduxerant, dum e contra in decursu hujus seculi V. Beda, Ambrosius Autpertus, et alii plures hunc scribendi morem, qui deinceps usque ad duodecimum viguit seculum, frequenter usurpaverunt.

Quoad zelum veritatis, quo flagrabant hujus aetatis hagiographi, in testimonium et exemplum adducere sufficiat Venerabilis Beda, qui nihil scribere voluit de S. Cuthberto recenter defuncto (20 mart. 687) „sine certissima inquisitione rerum ab eo gestarum . . . nec ea quae scripserat praesumpsit dare transcribenda sine subtili examinatione tum eorum, qui diutius cum viro Dei conversati, vitam ipsius noverant, . . . tum doctorum et seniorum Congregationis Lindisfarnensis.“<sup>1)</sup>

His praelibatis, nunc hagiographorum hujus aevi seriem aggrediar, ordinem sequens geographicum et agens simultanee de anonymis et de poetis, de iis qui proprio nomine noscuntur, seu soluta oratione scripserunt. Incipiam vero ab Anglia ex qua tunc prodiiit Venerabilis Beda, Ordinis Benedictini alumnus, qui effulsit tanquam sol splendidus inter stellas plus minusve fulgidas hujus seculi

### §. 1. Anglia.

1. Anonymus Lindisfarnensis. Scripsisse videtur ineunte octavo seculo anonymus quidam monachus Lindisfarnensis, cui debetur vita primigenia S. Cuthberti Episcopi Lindisfarnensis (20 mart. 687). Nam ibi loquitur iste scriptor tum de elevatione sacri corporis, quae contigit in anno 698 tum de vivente actualiter Rege Pictorum Elfrido, qui mortuus est in anno 705.<sup>2)</sup> Aliunde

<sup>1)</sup> Prolog. in Vitam S. Cuthberti.

<sup>2)</sup> Vita n. 14, 46.

optima fide, et saepissime testis oculatus, refert ea quae narrat: „nam ex his, quae ei comperta erant, plura intermisit . . . . excellentiora tantum notavit.“<sup>1)</sup> Haec scriptio brevis, licet in quatuor libris seu potius simplicibus capitibus divisa, non legitur sine fructu et delectatione etiam post Bedam ejusdem S. Cuthberti biographum prolixiorum et luculentiorum.

2. Eddius seu Stephanus, ut praecedens, monachus Ordinis S. Benedicti, familiaritate conjunctus fuerat cum celeberrimo S. Wilfrido (24. april 709) Archiepiscopo Eboracensi, et operam dedit ad enarranda partim ut testis oculatus certamina a suo Magistro strenue suscepta sive pro abolitione aliquarum consuetudinum pravarum a Britannis usurpatarum, sive pro vindicatione auctoritatis Ecclesiae Romanae. Hinc prodiit scriptio, quae maximi judicatur momenti pro historia ecclesiastica horum temporum.<sup>2)</sup>

3. Beda, cujus nomini simplex Venerabilis unitur titulus, sanctitati debitis honoribus nihilominus decoratur et ut talis colitur in Ecclesia Romana, ac etiam ut doctor Ecclesiae apud Anglos et in Ordine Benedictino. Hic origine Saxo, professione vero Monachus Ordinis nostri, a pueritia, studio litterarum, sacrarum et profanarum tam apprime deditus fuit, ut adolescens factus, nihil rerum, quas docti huius temporis cognoscebant et eruditi huius ignoraverit. In suis vero scriptis pie et sapienter explanat, et dilucidat Beda quaslibet questiones grammaticales, philosophicas et biblicas, quae tunc temporis agitabantur. Hinc scripta ejus quasi octavi seculi encyclopaedia vocari possunt, si mihi liceret tali verbo uti. Porro inter has scriptiones non infimum locum tenent hagiographica, quorum sequitur brevis enumeratio.

1. Martyrologium a Beda collectum. Ante Bedam jam S. Hieronymus doctissimus inter magis doctos quarti seculi idem opus susceperat; sed ad nos non pervenit authentica seu ab omni interpolatione exempta ista Sancti Doctoris collectio: unde Martyrologium Bedae ordinarie judicatur et reputatur vetustissimum hujus generis liber, quem ad nos transmisit veneranda antiquitas.

2. Martyrologium ejusdem poeticum. Simplex est Calendarium, in quo versibus recensentur fere unice Sancti, quorum ubique in octavo seculo celebrabantur natalitia licet tamen Samsø Dolensis et aliquot Angli eadem laude dignati fuerint.

3. Vita metrica S. Cuthberti, Episcopi Lindisfarnensis († 20. mart. 687). Mille versibus et amplius contextitur hoc poema sed nihilominus in multis historice loquendo, deficit. Quamobrem

<sup>1)</sup> Prolog. in vit. S. Cuthberti.

<sup>2)</sup> Mabillon Acta SS. O. S. Bened. t. 5, p. 631—690.

idem auctor eandem rursus postea conscripsit soluta oratione, in qua longe integrius et accuratius gesta et miracula Sancti referuntur.

4. Vita SS. Benedicti cognomento Biscopi (11. jan. 690) primi Abbatis Wiremuthensis et Ceolfridi ejusdem monasterii post Benedictum Abbatis et Bedae praecipui magistri (25. sept. 716). In his duobus libris, ubi tractatur de monasteriis, in quibus vivebat et educatus fuerat Sanctus Doctor, nihil narrat Beda nisi aut testis oculatus aut quod ex ore testium oculatorum mutuatus fuerit.

5. Passio S. Justinii Martyris († 14. apr. 150?) extracta est ex actibus sed metricè versis et comprehendit plusquam quingentos versus heroicos.

6. Vita S. Felicis Nolensis (14. jan. 300?). „Placuit nobis, ait Beda, ob plurimum utilitatem vitam S. Felicis ex versibus hexametris S. Paulini pulcherrime ac plenissime descriptis, planioribus dilucidare sermonibus id est, prosa.“<sup>1)</sup>

Insuper composuit Beda aliquot hymnos hagiographicos, scilicet

1. in honorem SS. Innocentium,
2. ad laudem S. Agnetis,
3. et 4. ad laudem S. Joannis Baptistae,
5. in honorem SS. Petri et Pauli, Apostol.,
6. in honorem S. Andreae Apostoli.

4. Felix monachus Girvensis et discipulus Bedae scripsit ante annum 740 unum librum de Vita et miraculis S. Guthlaci anachoretæ Crulandensis († 11. apr. 714) sed „quantacumque scripsi ut ipse testatur, diligentissime investigavi a reverendissimo abbate Wilfrido, a presbytero purae memoriae Cissea vel etiam ab aliis, qui diutius cum viro Dei conversati sunt.“<sup>2)</sup>

5. Acca. Circa idem tempus (750) Acca, discipulus S. Wilfridi, et Episcopus Hagulstadensis, delineavit vitam omnium Sanctorum, quorum reliquiae asservabantur in sua ecclesia.<sup>3)</sup> Sed haec scriptio excidit injuria temporum.

6. Anonymus Eboracensis. Circa finem octavi seculi quidam anonymus versibus heroicis gesta et Virtutes Praesulum Eboracensium celebravit. In hoc poemate haud ineleganti, licet aliquot sphalmatibus seu obscuritatibus deturpetur praecipuas tenent partes Sancti Paulinus, Wilfridus et Joannes Beverlacensis: unde illud inter hagiographica computari mihi licuit sed ab aliquot eruditis Alcuino, de quo in sequenti agetur capite<sup>4)</sup> ascribitur.

1) Prolog in Vitam S. Felicis.

2) Prologus in vit. S. Guthlaci.

3) Pitsens: De scriptoribus Angliae Verbo Acca.

4) Acta SS. O. S. Benedicti t. 4, p. 504 et seq.

7. Quidam anonymus descripsit vitam S. Botulfi fundatoris et primi Ikanoensis in Anglia (17. jun. 700) Abbatis. Brevissima est sed eleganter scripta haec vita. Quoad aetatem auctoris, suppar saltem debebat esse, siquidem super relata priorum Sancti discipulorum innitur.<sup>1)</sup> Aliunde prorsus tacet de Sancti translatione, quae decimo seculo contigit.

8. Anonymus Scotus. Eidem octavo seculo pertinere videtur anonymus Scotus, cui debetur Vita sat proluxa S. Comgalli (10. mai 601) fundatoris, et Abbatis celeberrimi monasterii Benchorensis, ac etiam magistri S. Columbani. Correcte et sine fuco scripta est haec vita, quod est perrarum apud antiquos hagiographos Scotos.

Nunc Gallias accedens, abundantiore colligam messem. Galliae vero Belgium unietur, quia tunc iisdem principibus subdabatur utraque regio.

## §. 2. Gallia et Belgium.

Hagiographi, de quibus hic agitur, sunt fere omnes anonymi, eorumque aetas sat incerta. Quocirca, plures si adsint errores in sequenti serie, quam chronologice texere cupio, veniam humiliter imploro. Incipiam per duo nomina propria

### 1. Aigradus.

Aigradus, monachus Fontanellensis in Neustria initio octavi seculi indubie floruit, unusque ex melioribus hujus aevi scriptoribus reputatur. Post scriptam Vitam S. Lantberti ex abbate Fontanellensi archiepiscopus Lugdunensis (14. apr. 690?), quae lucubratio ad nos non pervenit, litteris exaravit res gestas S. Ansberti (9. feb. 695), qui item ex abbate Fontanellensi Rotomagensis archiepiscopus creatus est. Hanc secundam scriptionem in pluribus codicibus vitiatam, et sic editam hucusque a Mabillonio et aliis, novissime puram et ab omni labe integram cudi fecerunt ex meliori codice novi Bollandiani.<sup>2)</sup>

In hac scriptione series narrationis clare et expedite evolvitur, nec stylo deest correctio vel elegantia sermonis.

Caeterum auctorem fuisse coevum ex eo evincitur quod scriptio dicata est Hiltberto, primo successori S. Ansberti in sede abbatiali Fontanellensi, et ante annum 704 jam demortuo.

### 2. Jonas.

Triginta circiter annis post Aigradam, Jonas, alter Monachus Fontanellae, suscepit ex obedientia „curam describendi vitam, virtutes, et miracula S. Wulfranni (20. mart. 720)<sup>3)</sup> qui ex archiepiscopo Senonensi Monachus Fontanellae factus. Evangelium postea

<sup>1)</sup> Vita S. Botulfi n. 10.

<sup>2)</sup> Analecta Bolland. t. 1 p. 178 et seq.

<sup>3)</sup> Acta SS. O. S. Bened. t. 3, p. 340 et seq.

apud Frisones praedicavit. Hanc scriptionem aliquot faedatam fuisse interpolationibus certum videtur sed his sublatis, auctoritate et laude digna est.

Eidem Jonae attribuitur etiam vita S. Condedi, primo Fontanellensis monachi deinde anachoretæ (21. sept. 685) sed desunt authenticitatis probationes. Caeterum haec scriptio a pluribus commendatur et fidem parere potest.

### 3. Anonymus Rotomagensis.

Cuidam anonymo Rotomagensi debetur prima vita virtutibus et aedificatione plena alterius Episcopi Rotomagensis scilicet S. Audoeni (24. Aug. 684). Cujus anonymi sat incerta est aetas sed correcte et eleganter narrat „ea quae ei ex testimoniis idoneis discipulorum sancti ei comperta erant de Sancto viro,<sup>1)</sup> quod sufficit ad omnem ei fidem conciliandam. Hanc vero vitam primigeniam recensuit et amplificavit in nono seculo et ante Normannicas infestationes quidam alius anonymus, qui falso a pluribus confusus est cum Fridegodo scriptore anglo decimi seculi, cui debentur gesta S. Oveni, monachi angli parum noti.

### 4. Anonymus Gemeticensis.

Nunc mihi exhibetur alius anonymus, qui jussu Coschini tertii abbatis Gemmeticensis (695—705?) descripsit Vitam virtutibus plenam S. Philiberti (20. aug. 687) ejusdem coenobii et plurium aliorum fundatoris et primi abbatis. Tacet iste biographus de testibus a quorum ore seu scriptis desumpserat quod asserit, sed aliunde tam bona fide narrat, totque propria locorum et personarum profert nomina ut indubie vel fuit ipse Sancti familiaris, vel saltem a familiaribus accepisse debuit quidquid tradit et refert.

### 5. Biographus S. Austrebertae.

S. Philiberto uniatur S. Austreberta (10. Febr. 704) inter ejus discipulas praecipua et Abbatissa Pauliacensis (Pavilly près Rouen). Debetur hujus Sanctae Virginis Vita cuidam anonymo coaevo, qui „Cedens precibus abbatissae Juliae, conatus est fideli ac veraci stylo depromere, quae de S. Austreberta veridica multorum fidelium relatione comperiebat.<sup>2)</sup> Idem auctor loquitur de una ex discipulabus Sanctae, quae, ipso scribente, adhuc vivebat. Unde patet illum fuisse coaevum et veridicum.

Idem vero dicere non audeo de secundo anonymo, qui eandem de novo descripsit vitam, quia sat incertum est tempus, quo vivebat.

### 6. Anonymus Leodiensis.

Paulo post annum 721 scripta est bona fide et ex testimoniis authenticis vita primigenia S. Theodardi Episcopi Trajectensis et

<sup>1)</sup> Vita S. Audoeni n. 9.

<sup>2)</sup> Prolog. in Vitam et n. 10.

Martyris (10. sept. 668) ab anonymo, qui res tamen a Sancto gestas summatim tantum commemorat.<sup>1)</sup>

#### 7. Ulfinus.

Iste episcopus erat Diensis, duplicemque metro et prosa scripserat vitam S. Marcelli (6. apr. 300?) unius ex decessoribus suis, quae scriptio excidit injuria temporum.<sup>2)</sup>

#### 8. Anonymus in certi loci.

Vita et miracula S. Alberti (30. dec. 700?) abbatis monasterii Gambronensis et aliquot aliorum monasteriorum pie, simpliciter et sat correcte a quodam anonymo descripta fuerunt sub forma sermonis in Natali ejusdem Sancti prolata, ac proinde pluribus post ejus obitum annis. Veruntamen auctor ex aliis sanctorum vitis hausisse videtur ea quae narrat.<sup>3)</sup> In qua vero regione situm erat Gambronense monasterium, incertum mihi est; tantummodo scimus illud situm fuisse super Oldam fluvium et inter sylvas densissimas.

#### 9. Anonymus Leuconensis in Picardia.

Quidam anonymus Leuconensis recensuit (V. anno 718—750) primam vitam S. Walarici (1. apr. 622) fundatoris et primi abbatis hujus asceterii; quae vita primigenia, scripta sat paucis post Sancti mortem annis, omni fide digna erat utpote auctorem habens Raimbertum quartum ejusdem Sancti successorem, ac etiam discipulum sed cum prolixior et simplicior a monachis ista scriptio judicaretur, juxta eorum postulationes et jussu Hugonis archiepiscopi Rotomagensis, de novo descripta est succincte et compto sermone a nostro anonymo.<sup>4)</sup> Quae recensio, perduto hodie primigenio scripto, magni pretii jure merito habetur.

#### 10. Anonymus Montensis.

Circa eosdem annos quidam anonymus Montensis in Belgio monachus simpliciter et correcte narravit „de vita, conversatione et miraculis S. Waldetrudis Virginis (9. apr. 686) quae gesta sunt haut procul a nostris temporibus juxta quod veracium testium, qui haec videre vel audire potuerunt relatione certa vulgatum est.“<sup>5)</sup>

#### 11. Anonymus Bituricensis.

Ad eosdem etiam annos pertinere videtur liber primus Miraculorum S. Austregisili, episcopi Bituricensis (20. maii 624). Correcte et sat eleganter scribit iste anonymus, qui aliunde res

1) Prologus in vitam S. Theodardi.

2) Hist. litter. de la France, t. 4, p. 198.

3) Vita S. Alberti, n. 4, 6 et — Acta SS. O. S. Benedicti t. 4, p. 475 et seq.

4) Vita S. Walarici, prolog. n. 10, 11 etc.

5) Vita S. Waldetrudis, n. 2.

magni momenti refert de bello tunc temporis inito inter principes Francorum, et Eudonem, ducem Aquitanorum.

### 12. Tres anonymi.

Iisdem adhuc annis, id est annis, qui immediate praecesserunt Maurorum Hispanorum in Gallias invasiones affigi debent Vitae SS.

1. Caprasii Abbatis Lirinensis (1. jun. 533).

2. Virgilii Episcopi Arelatensis (5. mart. 616).

3. Severi Abbatis Agathensis, et magistri S. Maxentii Pictaviensis (25. Aug. 500?) quae simpliciter scriptae fidem sibi conciliare merentur.

### 13. Anonymi Monstroliensis.

In eadem aetate duo floruerunt anonymi in Monasterio S. Salvii Monstroliensis. Priori exilis debetur vita S. Salvii Ambianensis episcopi (11. jan. 620?) quae litteris exarata est paulo post translationem sacri corporis circa ann. 720 factam. Posterior vero scripto mandavit ex relatu familiarium seu testium oculatorum res pie gestas et miracula S. Judoci qui ex regia stirpe armoricana ortus omnem mundi gloriam despexit, vitamque pauperem et anachoreticam egit in Pontivo exul sponte effectus (13. dec. 670).<sup>1)</sup>

### 14. Anonymus Ambianensis.

Contigit in anno 687 inventio sacri corporis S. Firmini Episcopi Ambianensis (25. sept. 380), quae ab anonymo coaevo aut saltem suppare statim scripto mandata est.

### 15. Anonymus Bituricensis.

Huic anonymo debetur Vita S. Desiderii, Abbatis (19. oct. 680), quae bona fide, simpliciter et sat correcte scripta est.

### 16. Godescalcus Leodiensis.

Circa annum 725 scribi debuit Vita primigenia S. Lamberti, Episcopi Trajectensis et Martyris (17. sept. 708) ex qua deinceps mutuati sunt Stephanus, Sigebertus et alii ejusdem martyris biographi seu encomiastae quidquid de ejus gestis sive prosa sive metro nobis tradiderunt. Porro auctor hujus vitae nomine proprio noscitur. Godescalcus vocatur, eratque diaconus Leodiensis. Licet vero nec ipsius Sancti fuisset familiaris, nec ante primam sacri corporis translationem (720 vel 722) calamum sumpserit,<sup>2)</sup> multa tamen didicit ab Theodoeno, qui circa annum 673 jam adhaerebat Sancto Praesuli.<sup>3)</sup> Aliunde bona fide et veraci stylo narrat tum cursum vitae Sancti, tum gloriosum martyrium, sicut

<sup>1)</sup> Acta SS. O. S. Benedicti t. 2, p. 541 et seq.

<sup>2)</sup> Prolog. in Vitam S. Lamberti et n. 30.

<sup>3)</sup> Vita S. Lamberti n. 6.

ad ejus auditum res pervenerant.<sup>1)</sup> Sermo vero parum est cultus, nec desunt barbarismi et alia similia sphalmata.

#### 17. Anonymus Belga.

Magistro discipulum unire mihi liceat, et ideo post S. Lamberti biographum agam de anonymo „qui nobis transmisit vitam S. Huberti, Leodiensis episcopi (3. nov. 727) Scriptor Sancto familiariter convixerat, ejus obitui adfuit ac etiam primae translationi sacri corporis anno 743 factae. Qua occasione, ut putatur litteris pie, correcte et eleganter exaravit mira gesta Confessoris Christi, sicut audierat a testibus oculatis aut etiam viderat propriis oculis. Pauca refert de vita Sancti ante episcopatum sed uberius agit de gestis episcopalibus, et plura tradit maximi momenti pro dignoscenda ecclesiastica horum temporum disciplina.

#### 18. Anonymus Cavellicensis.

Cuidam anonymo debetur Vita S. Verani, Episcopi Cavellicensis (19. nov. 599) pie et eleganter scripta.<sup>2)</sup> Modus scribendi virum gravem et eruditum prodit sed forsitan nimiae credulitatis circa insolita prodigia. Insuper quod valde dolendum est prorsus tacet iste anonymus de episcopalibus sui herois gestis et virtutibus.

#### 19. Anonymus Alsatinus.

Contigit die 17. septembris 680—700 triumphalis Passio S. Desiderii Episcopi Redonensis in Armorica, quae a suppare fuisse videtur scripto mandata ac bona fide sinon semper ex certa scientia: nam auctor aliquot vicibus locutionem: ut fertur, usurpat, quando non loquitur ut testis ceclatus seu qui loca invisit.

#### 20. Anonymus Laudunensis.

Brevis est Vita primigenia S. Anstrudis Virginis et Abbatissae S. Joannis Laudunensis (17. oct. 688) sed eleganter scripta et omni fide digna: nam suppar erat auctor et fere coaevus si quidem miracula recensens post mortem patrata, illa solum commemorat quae paucis annis post obitum contigerunt, eaque refert quasi illis ipsemet interfuerit.<sup>3)</sup>

#### 21. Anonymus Belga.

Cuidam anonymo Belgae debetur vita S. Madelbertae Virginis (7. sept. 705) quae pie et correcte exarata supparis auctoris videtur esse scriptio; nam nihil fere narrat iste auctor de miraculis post mortem patratatis et prorsus silet de prima translatione sacri corporis, quae contigit circa annos 722—730.

#### 22. Alius anonymus Belga.

Ad eosdem annos pertinere videtur Vita S. Ermelindis Virginis (29. oct. 590?). Nam licet incerta sit aetas anonymi,

<sup>1)</sup> Prolog. in Vitam S. Lamberti.

<sup>2)</sup> Labbe: Bibliotheca manuscr. t. 2, p. 690 et seq.

<sup>3)</sup> Prologus in Vitam S. Austrudis.

qui eam pie et eleganter conscripsit, indubie calamum sumpsit multis annis post mortem Sanctae, ac etiam post obitum S. Amandi Trajectensis. Verumtamen eum non ultra octavum seculum rejici debere conjicitur ex eo quod loquens de Pippini Landensis progenie, tacet omnino de ejus illustribus nepotibus et de Carolo magno.<sup>1)</sup>

### 23. Duo anonymi Lemovicenses.

Notis chronologicis certis carent tres antiquae vitae S. Tillonis (7. jan. 690) discipuli S. Eligii et monachi Solemniacensis a tribus monachis ejusdem asceterii scriptae. Verumtamen duae primae quae a Mabillonio sunt editae, et quae simpliciter et eleganter res gestas sancti viri referunt<sup>2)</sup>, tam numerosas locorum ac personarum circumstantias aperiunt, ut videatur requiri testis saltem suppar: Unde cum grano salis accipio verba primi biographi dicentis multa Sancti miracula „vetustate subripiante, oblivioni tradita esse<sup>3)</sup> et in eo sensu quod solummodo fluxerint a morte Tillonis sexaginta annos vel paulo magis, antequam scripto mandaretur vita.

### 24. Egilbertus.

Post tot anonymos nunc accedo ad Egilbertum, praepositum Cusantiensem sub abbazia Luxoviensi, qui auctor est Vitae S. Hermenfredi discipuli S. Waldeberti Luxoviensis et Abbatis asceterii Cusantiensis (25. sept. 650), Vitam hanc pie conscripsit Egilbertus sub forma panegyrici in die natali prolati. Stylus est aliquando implexus seu solocismis foedatus sed aliunde primigenia est haec scriptio, ipso teste auctore „qui non a scriptis sed a narrantibus comperit ea quae refert, nec voluit cursus vitae terminum finire antequam ea, quae a patribus nostris didicimus, nostris seu vidimus oculis litterulis quanquam imperitis, intimare studeremus.“<sup>4)</sup>

### 25. Anonymus Nannetensis.

B. Hermelandus (25. mart. 720) monachus Fontanellae et deinde fundator et primus abbas asceterii Antrensis apud Nannetas magnam sanctitatis et miraculorum adeptus est famam ineunte octavo seculo, cujus Vita admirabilis paucis post annis litteris exarata fuisse videtur a quodam anonymo familiari, et non minus laude digno pro sinceritate narrationis quam pro claritate et aliis dotibus styli.

### 26. Plures anonymi.

Idem judicium ferri potest, nisi fallor de pluribus aliis biographis similiter anonymis ac etiam coaevis seu saltem supparibus, quibus debentur Vitae Sanctorum

1) Vita S. Ermelindis, n. 3.

2) Acta SS. O. S. Benedicti, t. 2, p. 954 et seq.

3) Vita S. Tillonis, n. 15.

4) Prolog. in Vitam S. Hermenfredi.

1. Clari, Abbatis S. Martini Viennensis in Gallia (1. jan. 680).
2. Boniti, Episcopi Claromontani (15. jan. 709).
3. Richmiri, eremitae in Cenomannia (17. jan. 710).
4. Clodulfi, Episcopi Metensis (8. jun. 692).
5. Eustadiolae, Abbatissae Bituricensis (id. 695).
6. Vulmari, Abbatis apud Morinos (20. jul. 710).
7. Serenedi et Serenici fratrum (21. jul. 690) eremitarum in pago Sagiensi.
8. Segolenaе Abbatissae Albigenis (23. jul. 730).
9. Fiacrii, eremitae Hiberni in Briegio (30. aug. 680?).
10. Bertilae Abbatissae Calensis<sup>1)</sup> (4. nov. 702).
11. Dalmatii, Episcopi Ruthenensis<sup>2)</sup> (13. nov. 680).

#### 27. Anonymus Sithivensis.

Ex similitudine styli, et identitate litterali aliquot dictionum semigraecarum (agius et similia) conicitur scriptas fuisse ab uno et eodem anonymo, qui erat monachus Sithivensis, tres vitas SS. Audomari Morinorum episcopi (9. sept. 670), Bertini ejus discipuli (5. sept. 709), et Winnoci discipuli ejusdem Bertini (6. nov. 717). Porro scriptio quae vitam et miracula S. Winnoci continet litteris exarari non potuit ante annum 750, siquidem in ea fit mentio Gerardi Comitis qui monasterium Wormholtense a Sancto prius fundatum sed igne absumptum pie et genereose suis sumptibus reparavit<sup>3)</sup>. Verum nihil obstat quin duae aliae aliquot annis antea exaratae fuerint. Caeterum textus integer Vitae S. Winnoci adhuc ineditus jacet et mutuari debet ex codice 107 Bononiensi in Gallia.

#### 28. Anonymus Belga?

S. Marchelmo seu Marcellino, qui fuit discipulus S. Willibrordi, et socius in praedicatione S. Bonifacii, falso attribuitur Vita S. Suitberti (1. mart. 713) primi Frisonum Apostoli in qua scriptio plures inveniuntur varii generis noevi prorsus tanto viro indigni sed ad hanc tamen aetatem pertinet haec scriptio, licet, quis sit ejus verus auctor ignoretur.

#### 29. Anonymus Aurelianensis.

S. Eucherius Episcopus Aurelianensis obiit in anno 738 (20. febr.), cujus vita probabiliter scripta fuit ab anonymo coaevo: quippe qui ipsas Sancti sorores germanas de gestis Praesulis consuluerat.<sup>4)</sup> Aliunde stylo simplici utitur iste auctor, inflationem, prolixitatemque devitans.

<sup>1)</sup> Acta SS. O. S. Benedicti t. 3, p. 17 et seq.

<sup>2)</sup> Labbe: Bibliotheca manusc. t. 1 appendix.

<sup>3)</sup> Acta SS. Belgii t. 6, p. 432 et seq.

<sup>4)</sup> Vita S. Eucherii, n. 1.

### 30. Anonymus Cadurcensis.

Circa ultimos annos octavi seculi scribi debuit Vita S. Ambrosii (corrupte Allogiosi dicti) Cadurcensis Episcopi (16. oct. 770) ab anonymo coaevo, qui res Sancti gestas didicerat ab Agrippino, Ecclesiae Cadurcensis archidiacono, et totius vitae Ambrosii intime conscio.<sup>1)</sup>

### 31. Duo anonymi Senonenses.

Sub uno et eodem titulo duos anonymos jungo, qui erant probabiliter ortu Senonenses.

Priori debetur vita S. Paterni monachi et martyris (13. nov. 726).<sup>2)</sup> Non est haec vita omnino primigenia, siquidem ipso teste auctore „jam digesta fuerat antiquitatis temporibus sed inordinate et confuse.“ Aliunde ista prima vita ad manus nostras non devenit.

Posterior vitam S. Amati episcopi Senonensis (13. sept. 690) multis post Sancti mortem annis et more panegyrico potius quam historico conscripsit sed tamen quidquid narrat ex bona fide et certis testimoniis refert ac nonnisi praehabitis multis et sedulis de rerum veritate inquisitionibus.<sup>3)</sup>

Aliunde scribebat longe ante devastationes Normannorum et dum adhuc vigeat traditio oralis, seu etiam extabant aliqua documenta, quae postea in illis tumultibus exciderunt.<sup>4)</sup>

### 32. Alius anonymus item Senonensis.

Alius anonymus Senonensis circa eosdem forsan annos breviter scripto mandavit, secundum quod didicerat a Patribus,<sup>5)</sup> vitam S. Ebbonis similiter Episcopi Senonici (27. aug. 744). Huic biographo titulus coaevi aliquot vicibus denegatus fuit eo quod loquitur de destructione Urbis Senonicae per manum Vandalorum,<sup>6)</sup> sed immerito. Nam Vandali isti non sunt Normanni, sed Sarraceni, qui de facto sub praesulatu Ebbonis Gallias invaserunt, urbemque Senonicam obsederunt. Caeterum iste anonymus aliquot dictiones usurpat, v. g. videbatur esse, quae epocham Merovingicam sapiunt jam que obsoletae erant ante finem noni saeculi.

### 33. Anonymus Lemovicensis.

Pardulfus (6. oct. 737) fundator et primus abbas monasterii Waractensis (Gueret) in pago Lemovicino similiter habuit biographum coevum aut saltem supparem, qui consultis testibus oculatis,<sup>7)</sup> hujus sancti gesta et miracula claro et simplici licet

<sup>1)</sup> Vita S. Ambrosii Cadurcensis, circa finem.

<sup>2)</sup> Acta SS. O. S. Benedicti, t. 3, p. 438 et seq.

<sup>3)</sup> Vita S. Amati, p. 12 et 13.

<sup>4)</sup> Vita S. Amati n. 13.

<sup>5)</sup> Vita S. Ebbonis n. 7.

<sup>6)</sup> Ibid. n. 16.

<sup>7)</sup> Vita S. Pardulfi n. 17.

aliquoties inculto stylo descripsit. Multum profuit historiae haec scriptio propter nomina principum hujus temporis, et locorum, de quibus obiter agit auctor.

#### 34. Heceelinus.

Heceelinus, monachus S. Taurini Ebroicensis, postquam multum inquisierat de gestis et virtutibus S. Aquilini Episcopi Ebroicensis (19. oct. 695) ea non minus pie quam correcte et fideliter scripto mandavit.

#### 35. Anonymus Belga.

Duplex invenitur vita S. Landelini, Abbatis Crispiniensis et, plurium monasteriorum fundatoris (15. jun. 686) una extensior, altera contracta. Sed forsitan haec posterior nihil aliud est quam simplex prioris vitae compendium, quae „ex ore testium veridicorum accepta,“ omni fide digna et auctoritate videtur.<sup>1)</sup>

#### 36. Alii anonymi.

Item ad finem seculi octavi rejici posse videntur tanquam longe post obitum sanctorum litteris exarata, sed simpliciter, correcte et optima fide, ea quae sequuntur.

1. Acta SS. Crispini et Crispiniani (25. oct. 250).
2. Vita S. Maximini Trevirensis Episcopi (29. maii 369).
3. Vitae trium sororum Virginum, scilicet Pusinnae (23. apr. 488?), Lutrudis (22. spt. 491?), Manehildis (14. oct. 490?)

#### 37. Anson et Donatus.

Antequam Gallias et Belgium deseram, licentiam peto concedendi locum Ansoni et Donata, qui licet uterque jam inchoato seculo diem supremum obierint, pertinent tamen ad octavum ratione scriptionum, quas calamo exaraverunt.

Ansoni abbati Laubiensi debentur Vitae duorum ex ejus decessoribus, scilicet Ursmari (18. apr. 713) et Erminonis (25. apr. 737). Utraque brevissima est; nam ex plurimis pauca retinuit Anso „nihil tamen admittens nisi compertum et probatum seu a testibus valde idoneis mutuatum.“<sup>2)</sup> Ansoni nec simplicitas deest nec etiam styli correctio et quaedam elegantia sermonis, quidquid in contrarium dixerint Ratherius et Folcuinus, qui ejus scriptionum recensionem susceperunt in decimo seculo. Eandem vero S. Ursmari vitam ad metri leges reduxit Herigerus circa finem decimi seculi.

Donatus vero diaconus erat Ecclesiae Metensis, et operam dedit ut „compendiosa brevitate, quaedam de vita conversatione ac innumerabilibus miraculis B. Trudonis (23. nov. 698) rustico quidem sermone, sed fidei narratione congererat, jubente Angel-

<sup>1)</sup> Prolog. vita S. Landelini.

<sup>2)</sup> Prolog. in Vitam S. Ursmari.

ramo Episcopo Metensi,“ circa ann. 791 demortuo.<sup>1)</sup> Fucum et inflationem non satis horret Donatus, sed aliunde nec ei deest ordinarie correctio vel elegantia styli. Insuper bona fides et sinceritas in narrando ei denegari non possunt. Unde factum est ut omnes qui postea de Trudone tractaverunt, multa e Donato deprompserint.

Nunc Rhenum transiens Alemanniam adibo, quia adsunt ibi aliquot hagiographi, de quibus loqui condecet.

### §. 3. Alemannia.

#### 1. Aribo seu Arbeo.

Cyrinus alias Aribo, primo monachus, dein abbas, et tandem episcopus Frisingensis (765—790) in Bavaria, inter magis doctos sui temporis, et magis in litteratoria arte versatos scriptores computari debet. Porro duo tamen solummodo nobis reliquit scripta, nempe *Vitas SS. Corbiniani et Emmerami*, suorum antecessorum. Vicinus erat dierum S. Corbiniani, Episcopi Frisingensis (8. sept. 730) Aribo, qui fuit ejus tertius successor, et, quamvis non ejus discipulus fuisse videtur, res tamen ab eo gestas facile exploratas habuit. Idcirco fidem facit ejus testimonium. Sed valde dolendum est tam illustris Sancti vitam non largius et extensius a tali auctore descriptam fuisse: nam nihil fere refert nisi episcopi miracula. Caeterum talis qualis haec scriptio magni est momenti pro enucleanda serie principum Francorum et Longobardorum hujus temporis, eorumque gestis chronologice recensendis.<sup>2)</sup>

Idem auctor magis distabat a diebus S. Emmerami, Episcopi et Martyris († 22. sept. 652) sed ejus indoles et nativus veritatis amor nos certiores faciunt eum nihil inseruisse in sua narratione nisi probatum et compertum. Aliunde valde pauca refert de Sancti vita et gestis.<sup>3)</sup> Quoad vero miracula posthuma ea solummodo narrat, quae a testibus oculatis audivit, aut quibus ipse interfuit. Hanc ultimam elucubrationem recensuere in undecimo seculo Meginfredus et Arnoldus Vochburgensis, de quibus suo loco agetur.

Exstat etiam brevis tractatus de *Passione et gloria* ejusdem Emmerami a Constante sacerdote compositus quem utrum ante vel post Aribonem fuerit exaratus, nescio, nam licet a Pezio editus, ad nostras manus non tamen pervenit.

#### 2. Anonymus Juvavensis.

*Vita primigenia S. Ruperti primi Boiorum Apostoli* (27. mart. 718) a quodam anonymo simpliciter et correcte scripta fuit non

<sup>1)</sup> Prolog. in *Vitam S. Trudonis*. Acta SS. O. S. Benedicti, t. 2, p. 1024.

<sup>2)</sup> Post Bollandianos socios recentissime nova et accuratior editio publici juris facta est (Monachii 1885) a claro viro S. Riezgler.

<sup>3)</sup> Hujus scriptionis nova editio adest apud Anal. Bollandiana, t. 8, p. 2 et seq.

multo post sancti mortem, sed deinde interpolata a pluribus ad nos ita pervenit corrupta et parva fide digna.

### 3. Willibaldus.

Bonifacius, aliis Winefridus, Germanorum Apostolus et praecipua gloria sanctitatis octavi seculi, paganorum gladio occubuit die quinta Junii anni 755. Ejus vita admirabilis pro prima vice litteris exarata fuit ante annum 769 ab uno ex praecipuis ejus discipulis, S. Willibaldo, Episcopo Eichstetensi, qui licet ipse vixisset sub disciplina tanti magistri, modeste tamen et perraro de se loquitur Willibaldus, asserens quod S. Bonifacii vitam . . . ab exordio usque ad finem . . . exili innectat opusculo, quemadmodum „viris religiosis referentibus comperimus.“<sup>1)</sup> Multis vicibus editum est hoc opusculum, sed recentissime ex codice meliori, et forsan ipsius auctoris autographo.<sup>2)</sup> Scripserat etiam Willibaldus vitam sororis suae Walburgis, sed deperdita est haec scriptio.

Ante finem ejusdem seculi (790 circiter) quidam anonymus sermonem habuit de martyrio ejusdem S. Bonifacii, nihilvero retulit nisi ex testibus oculatis.<sup>3)</sup>

Multos alios biographos in decursu seculorum idem martyr Christi habere meruit, sed omnes fere unice ex Willibaldi scriptione hauserunt.

### 4. Anonyma Heidenheimensis.

Willibaldo (7. jul. 786) qui cum tanta sedulitate res gestas S. Bonifacii scripto ipse mandaverat, non defuit biographus coevus et idoneus, nam quaedam sanctimonialis Heidenheimensis ejus consanguinea „fideliter descripsit ea quae ab ipso audierat, aut a diaconis ejus et aliis junioribus discipulis.“<sup>4)</sup> Suae vero scriptioni dedit titulum sat insolitum: *Itinerarium Willibaldi* sed revera optime congruum siquidem multas peregrinationes, (quas longius refert) ipse susceperat sanctus Confessor, antequam suam stabilitatem firmaret apud Heidenheimenses monachos. Pie scribit haec Sanctimonialis: sed ei non sufficienter displicent neologismi, voces barbarae, et fucatus verborum ornatus.

Eidem Sanctimoniali debentur „pauca de conversatione S. Wunebaldi fratris praecedentis et primi abbatis Heidenheimensis (8. dec. 761) pro qua scribenda adjutorium habuit auctrix ea quae jam litteris exaraverant de eodem sancto soror ejus

1) Vita S. Bonifac, n. 1.

2) Analecta Bolland. t. 1, p. 49 et seq.

3) Vita S. Bonifacii die quinta Junii.

4) Prologus in Vitam S. Willibaldi.

Walpurgis, et viri venerandi qui illi familiaritate et amicitia conjuncti fuerunt.“ Insuper plura refert testis ocularis.<sup>1)</sup>

#### 5. Anonymus Coloniensis.

Vita S. Philippi presbyteri in Palatinatu Germanico, (3. majo 760?) a coaevo fuit scripta pie et eleganter secundum quod audivit tum a discipulo Sancti tum ab incolis loci.<sup>2)</sup> Haec sufficiant de Hagiographis octavi seculi, qui ortu Alemanni erant. Nunc transcensio montibus Italiam adibo.

#### §. 4. Italia.

Italia a Longobardis currente octavo seculo, sicut antea, possessa et ab eis multipliciter vastata, paucos in eadem aetate computavit litteratos, et insuper sat pauci ex eis hagiographiam colerunt. Quatuor solummodo mihi noti sunt nomine proprio, scilicet, Ambrosius Autpertus, Titianus, Paulus Diaconus et Cyprianus Cassinensis, quibus adjungentur aliquot anonymi.

#### 1. B. Ambrosius Autpertus.

B. Ambrosius Autpertus, Abbas S. Vincentii Vulturvensis, qui confundi non debet cum Authperto Abbate Cassinensi multo posteriori, Gallus erat genere et apprimè in litteris versatus. Iter vero agens per Italiam mansionem suam fixit in monasterio S. Vincentii Vulturvensis; ibi postea abbatiali dignitate auctus est, ibi etiam sua scripta composuit, quibus meruit laudem facundissimi et castigatissimi hujus aetatis scriptorum. Porro unica solummodo ex his scriptionibus pertinet ad genus hagiographicum nempe Vita trium fratrum simul fundatorum et successive Abbatum S. Vincentii, scilicet SS. Paldonis (11. oct. 720), Tasonis (11. januar. 729) et Tatonis (11. dec. 739). Sed magni est pretii ista scriptio utpote fere semper ex teste oculato proveniens. Insuper narratio Autperti simplex est et substantialis, nunquam prolixa vel fucata. Prosa et metrum apud eum frequenter sed non in jucunde, judice Paulo Diacono, intermiscuntur.

#### 2. Titianus.

Titianus erat episcopus Tarvisinus (700—730). Porro in Corsica tunc temporis asservabantur ossa seu reliquiae SS. Florentii et Vindemialis Episcoporum, qui ex Africa a Vandalis pulsati apud dictam insulam asylum invenerant et ibi diem supremum obierant († 2. maii 480?). Titianus, post Corsicam a Sarracenis occupatam circa annos 720—725, eorum sacra ossa Tarvisium transtulit, cujus insuper translationis seriem simplici et brevi relatione litteris exaravit.

<sup>1)</sup> Vita S. Wunibaldi, prolog. n. 21 et alibi. — Acta SS. O. S. Benedicti t. 4, p. 161 et seq.

<sup>2)</sup> Vita S. Philippi, n. 1.

### 3. Paulus diaconus.

Paulus Warnefridus, alias dictus Diaconus, quia per multos annos Diaconi partes implevit in Ecclesia Aquileiensi. Longobardus erat origine, et adeo litteris versatus ut secretarii munus impleverit primo apud Desiderium Longobardorum regem, et deinde apud Carolum magnum. Postea vitam monasticam amplexatus est apud Montem Cassinum, ibique pie diem supremum obiit circa initium noni seculi. Primum locum tenet inter ejus scripta *Historia Longobardorum*, quae non ad nos spectat, sed idem auctor plura etiam descripsit prosa vel metro hagiographica, quae non sunt contemnenda.

En eorum enumeratio:

1. Passio S. Cypriani, Carthaginensis Episcopi († 14. sept. 253?)
2. Vita et miracula S. Arnulfi, Metensis Episcopi († 18. jul. 650?).
3. Vita (prima) S. Gregorii Magni Papae († 12. mart. 604).
4. Vita et miracula (metricè scripta) S. Benedicti († 21. mart. 543).
5. Vita et miracula (metricè scripta) S. Scholasticae, Virg. († 10. feb. 543).
6. Vita et miracula (metricè scripta) S. Mauri, Abbatis († 15. jan. 584).

Insuper in unum pie et docte collegerat Paulus centum homilias pro festis Sanctorum, fere omnes ex Patrum scriptis desumptas, aliquas tamen proprio Marte compositas ad usum ecclesiarum, quibus deerant in hac aetate Homiliaria seu Legendaria.

Frequenter etiam eidem Paulo, ascribitur adinventio versuum cum reiteratione (gallice: „vers a echos“) seu in quibus distichis prima pars versus repetitur in fine secundi versus, sed revera longe antea Sidonius Apollinaris et Venantius Fortunatus idem versuum genus usurpaverant.

### 4. Cyprianus Cassinensis.

Paulo Cassinensi adjungatur Cyprianus item Cassinensis monachus, cui debetur poema historicum versibus elegiacis compositum: *De Laudibus S. Benedicti*, quod pro aliqua parte usurpatum fuit in officio divino.

Nunc veniunt aliquot anonymi, scilicet

1. Anonymus Farfensis. Iste nobis reliquit vitam S. Thomae Abbatis et restauratoris monasterii Farfensis (10. dec. 715) Auctor scribebat, ipso fatente, post multorum annorum curricula, sed tamen nihil refert quod non sit probatum relatu patrum.<sup>1)</sup> Aliunde pie, correcte et simpliciter res narrat iste anonymus.

2. Anonymus Beneventanus. Cuidam anonymo Beneventano debetur Vita S. Barbati, Episcopi Beneventani († 19. feb. 682); in qua ea „quae auctor fidelium relatione de Sanctissimi

<sup>1)</sup> Acta SS. O. S. Bened. t. 3, p. 276 et seq.

Patris Barbati more vel meritis compererat, . . . seu de tanti viri gestis repererat, simplicibus verbis, devotissime enarravit.“<sup>1)</sup>

3. Anonymus Ticinensis. Iste anonymus sat eleganter sed tantum encomiastice descripsit Vitam S. Appiani, Monachi Ticinensis (6. nov. 730?)<sup>2)</sup>: aetas vero ejus non est omnino certa.

#### §. 5. Hispania.

Octavum seculum lugenda est epocha pro Hispania, quae tunc a Mauris invasa, multisque praeliis devicta ruinis et vastationibus varii generis repleta est. Quo funesto rerum statu paucos litteratos computavit infelix Iberica peninsula Duo solummodo hagiographi nomine mihi noti sunt, scilicet Felix et Cixila, uterque Toletanus episcopus. Primo debetur vita brevissima, sed omni fide digna S. Juliani similiter Toletani antistitis (28. jan. 690), cui auctor fere immediate successerat. — Secundus vero scripto mandavit Vitam S. Ildefonsi, qui viginti annis ante Julianum eandem Toletanam sedem cum insigni fama tenuerat (23. jan. 667). Pauca refert Cixila: quod valde dolendum est: nam res describit referentibus duobus presbyteris Urbano et Evantio, qui cum Sancto vixerant et omni fide digni habentur.

His duobus addi potest quidam anonymus forsan Caesar-augustanus, qui pie et fideliter enarravit gesta Sanctorum Felicis et Voti vitam anachoreticam agentium in loco ubi postea aedificatum fuit insigne monasterium S. Joannis Pinnatensis (29. maji 750?).

Hic finem sumit modica recensio Chronologico-critica hagiographorum, quam lectori promiseram ad laudem Sanctorum aliquantulum promovendam. Nonum seculum nimia litterarum laude gaudet ut talis relate ad illud recensio alicujus sit pretii, sed aetatis laudi sequentis, quae saeculum ferreum frequenter per contemptum nuncupatur, proficuum forsan erit inquirere quot hagiographos produxerit decimum seculum, et ejus sint meriti. Quocirca hanc novam recensionem, si Deus permiserit, proximis mensibus aggrediar.

## Cistercienser-Mönche und Conversen als Landwirthe und Arbeiter.

Von Ludwig Dolberg in Ribnitz.

(Fortsetzung zu Heft II. 1892, S. 216—228.)

Die Stalleute und Kutscher (Stabularii lib. us. conv. 14. 314; Quadrigarii lib. us. conv. 16. 316; 1213. 8; 1224. 7; Redarii 1225. 2.) hatten, wie schon ihr Name sagt, den Dienst

<sup>1)</sup> Vita S. Barbati n. 1.

<sup>2)</sup> Acta SS. O. S. B. t. 4, p. 497 et seq.